

11. 4. 37, resp.
1402

⟨FILIUS ESTO BONUS⟩

QUIA campis messe maturata uberantibus messorum licet pro fructu laboris aliquid decerpere, cum fructus finis laboris prenoscatur, et de via peregrinanti magnam per distanciam consolacio expectatur; ymo longa mercandi absentia terrigenas adveniente mercatore prestolatur; ymmo puerorum mens adhuc parvula, matre de foro ventura, quamvis ignara de empto, spe tamen firmior de suo puerili donario: sed quia nunc messis non maturata albescit, sed yemps coma irsuta nivis stillicidio pluvieque tempore turbulenta perdurans nobis se tamquam iracunda ostentat, idcirco fructus messis forsitan retardatur.

Et cum noster presens determinans per multorum annorum spacium messor existeret, quamvis non calamorum in terra crescencium, sed calamorum in campo universitatis nostre de pectore facultatis arcium emanantium ⟨messorum⟩ se esse firmiter probaret, tamen posset de nivis cadentis assiduitate perturbari, ne ipsius mercedem et meritum coram multis ydoneis obumbraret. Sed quid, dilecte domine Martine, si yemps irsuta messem estatis destruit, numquid et messem tuam valet do campo cordis tui educere, quam per multa tempora excoluisti scienciarum semina inserendo? Absit. Nam ver propinquat teste Ovidio¹ libello De kukulo dicente:

„Ver ⟨quo⟩que florifero succinctus scemate venit.“

Ecce ver venit florens succincto, qui yemis frigora et ista nymbose tempora acurtabit. Et si veris non gliscis favorem, tunc matris expecta amorem, quia filius es, ipsa emit et venit grata dabitque optata, iussis si obtemperes, que suis dilectis filiis precio diutino comparavit. Nam genitrix munera prestat monens prius, ut filius mala devitans in bonis quiescat. Mater ergo vestra facultas arcium, ex cuius uberibus lac scienciarum habunde suxistis, tamquam fidelis mater suo filio, ymmo quasi denovo genito cupiens confere donarium, vocem suam dirigit sic inquiens: Filius esto bonus!

Reverendi patres, magistri dominique venerandi! Verba predicta scribit